



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Vbinam spes nostra potissimùm sit ponenda?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

statim sanus factus est homo ille. Enimuerò adeò sanus factus est, vt illico sustulerit ipse grabatum suum, nouus Atlas factus. Ex quibus omnibus enumeratis exemplis clarum fit, quàm diuersa sint diuina iudicia ab humanis; cum toties Deus iudicet manum porrigendam ijs, quos homines esse deferendos iudicauerunt; quorum vtrumque docet, nec nimiam in hominibus fiduciam collocandam, nec vnquam Deo diffidendum. Hoc est, quod veteri prouerbio dicitur: *Deus de machina*: stat enim ille pro nobis inuocatus, cum nos etiam in extrema tegula stamus.

CAPVT XIII.

*Deum, tum in omni, tum etiam in pecuniaria necessitate
egentibus mirabiliter subuenire.*

I.
2. Cor. 5. 18.
Ephes. 3. 20.



Ierem. 2. 13.

Rofanorum hominum iudicio; *Nummus est humana potentia compendium*; rectius dicerent: *Deus est humana potentia compendium*. Siquidem omnia ex Deo, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis. Ille fons est omnis boni; ille Oceanus misericordiarum; ille asylum; ille scutum; ille portus; ille spes prima & vltima miserorum. Vt proinde stolidè erret, qui, fonte deserto, cisternas sibi fodit, quæ continere non valent aquas; aut fluuium, immo riuiulum existimat Oceano pleniorum; vel qui, cum vidit, se ab omnibus deseri, etiam à Deo desertum arbitratur; quasi exhausta sit illius potentia & bonitas, aut fons misericordiæ exsiccat. Non nouit Deum, quisquis, in rebus ambiguus, non consulit Deum. Non credit Mundi gubernatorem Mundo esse superiorem, quicumque se abstrahi sinit, per vllam rem Mundi. O quàm vilis spes est, quæ nititur Mundi potentia! quàm fugax Principum custodia! quàm fallax fiducia creaturæ! Fascinatio, error, cæcitas, infania est, quærere vbique vel solatia, vel auxilia, & ignorare, aut obliuisci eum, in quo sunt omnia, immo etiam à quo sunt omnia, qui & est omnia in omnibus.

II.

De Protheo, versipelle falsoque Deo, quem alij Vertumnum appellauerunt, Propertius ita cecinit:

Oppor-